

Verum non adhuc ab omni scrupulo solvitur mulier : incidit enim in BASILIUM, qui imperat ut ex integro repetatur generalis confessio, quia, sententia sacramentalis non nisi in Sacramento, sive a proprio, sive ab alio Confessario, immutari potest.

HINC :

- QUÆR. 1° *An pœnitentia mutari possit, vel a quonam? An ab ipso pœnitente, si in melius fiat, ut in voto?*  
 2° *An mutanda sit, si ex aliquo impedimento impossibilis evaserit?*  
 3° *An in sola confessione, aut in Sacramento mutanda sit, si casus mutationis occurrat?*  
 4° *An ad hoc repetenda sit præterita confessio, vel sufficiat cognitio status pœnitentis, vel ipsius pœnitentiæ?*  
 5° *Quid de variis Confessariis et eorum sententiis?*

SOLUTIO :

522. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* 1° Pœnitentia nunquam ab ipso pœnitente commutari potest, nequidem in melius, quia pœnitentiæ obligatio non oritur ab ipso pœnitente, ut in voto; et insuper, opus aliquod nequit ad satisfactionis sacramentalis meritum elevari nisi a Ministro ipso pœnitentiæ impositum fuerit. 2° Commutari vero potest a proprio Confessario, quia legislator potest propriam legem mutare. 3° Potest etiam mutari ab alio Confessario, quia alius etiam potest esse ejusdem causæ iudex, si pœnitens ipsius tribunali se submittat. Excipe, nisi pœnitentia pro casibus reservatis imposita sit, quia inferior sententiam Superioris mutare nequit, si hic facile adiri possit. Sed in omni casu justa causa ad pœnitentiæ mutationem requiritur.

523. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Neg.* cum sententia communi et probabiliori. Ratio est : quia pœnitens non amplius tenetur ad executionem pœnitentiæ quæ impossibilis facta est. *S. Lig. n. 520, — Lugo, — Lacroix, et alii innumeri contra Bonacina, etc.*

524. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* Non potest mutari pœnitentia, nisi in confessione, si commutatio ab alio Confessario fieri debeat; quia alius Confessarius nullam potestatem habere potest, nisi in confessione sacramentali, juxta omnes. Imo idem etiam videtur tenendum, licet commutatio ab eodem Confessario fiat, qui extra confessionem non est iudex circa id quod ad integritatem Sacramenti spectat. *Ita communius et verius, ait S. Lig. n. 529.* Attamen Confessarius potest hanc commutationem facere post absolutionem, quia præcedens Confessarii iudicium adhuc moraliter perseverat. Non requiritur autem ut pœnitentia commutetur in ipso Sacramento, seu ut pœnitens in hac confessione absolvatur; quia confessio est vere sacramentalis, etiam deficiente Sacramento, dummodo fiat in ordine ad Sacramentum, alias vel mox recipiendum, si Confessarius id opportunum iudicaverit.

525. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quærs.* Si pœnitens adeat eundem Confessarium, non

erit necessarium confessionem repetere, dummodo Confessarius recorderetur adhuc *in confuso* status conscientie pœnitentis. Si vero alium adeat, vel eundem non amplius peccatorum memorem, sufficit ut summatim confiteatur, ita ut Confessarius confusam illius status notitiam acquirat.

Dixi : *Sufficit cognitio confusa status pœnitentis*; an vero *requiratur illa confusa cognitio* ad pœnitentiam commutandam, *controvertitur*. Affirmant *probabiliter Lacroix, Elbel, etc.*, quia Confessarius nequit pœnitentiam commutare, nisi in iudicio sacramentali, quod absque illa notitia exerceri nequit. Negant autem alii etiam *probabiliter* cum *S. Lig., etc.*, quia non agitur de iudicio circa peccata ferendo, sed tantum de pœnitentia mutanda, ad quod sufficit prioris pœnitentiæ cognitio, ut alia circiter æquivalens imponatur. *V. Comp. n. 532.*

526. — *R. ad 5<sup>m</sup> Quærs.* 1° GERARDUS falso asseruit pœnitentiam commutari non posse, nisi a Confessario a quo injuncta est; alius enim Confessarius quilibet in foro sacramentali constitutus, et priori succedens relative ad eundem pœnitentem, eadem ac ille gaudet potestate, quia novum iudicium ferre potest.

2° GALDINUS vero recte iudicavit mulierem ab omni obligatione liberandam esse, cum de morali impossibilitate pœnitentiam adimplendi ipsi constiterit. BASILIUS vero sub omni respectu erravit, scilicet, tum quia commutavit pœnitentiam quæ commutatione non indigebat, tum quia mulierem ad confessionem generalem inutiliter adstrinxit, tum etiam quia iudicavit commutationem in solo Sacramento fieri posse; sufficit enim ut pœnitens in foro sacramentali constituatur, nec requiritur ut absolutionem recipiat.

## CASUS VIII.

### PŒNITENTIÆ OBLIVIO.

MARTHA, ingratae memoriæ mulier, non raro pœnitentiæ sibi a Confessario injunctæ obliviscitur, ideoque pluribus angitur perplexitatibus. Inter alios casus accipe sequentes :

1° Quondam MARTHA, pœnitentiæ sacramentalis immemor, rediit ad Confessarium, qui et ipse, injuncti operis jam non recordans, aliud subrogavit.

2° Eodem recurrente oblivionis casu, statuit mulier ad Confessarium iterum recurrere, sed abierat et jam a pœnitente amplius adiri non poterat. Quid igitur faciet misera? Pergit ad alium Sacerdotem, a quo jubetur confessionem repetere, ut nova pœnitentia præscribi valeat.

3° Alias MARTHA, tædio et contristatione affecta propter recurrentem adhuc hujusmodi oblivionem, ipsamet sibi opus subrogatorium imponit; et, ad tutius, pœnitentiam in præcedenti confessione sibi injunctam repetit.

4° Alias nova contorquetur anxietate; postquam enim a Confessario recessisset, advertit ipsum hac vice oblitum esse pœnitentiam præscribere. Verum, ut ab incommodo illum iterum adeundi liberetur, ipsa aliquod opus adimplendum eligit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *Si pœnitens oblitus fuerit pœnitentiæ injunctæ teneturne Confessarium adire, ut eam resciat?*

2<sup>o</sup> *Teneturne confessionem repetere, ut aliam accipiat?*

3<sup>o</sup> *Si Confessarius de pœnitentia injuncta non recordatur, debetne aliam subrogare?*

4<sup>o</sup> *Quid de MARTHA in variis casibus?*

SOLUTIO :

527. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. 1<sup>o</sup> Affirm.*, in duplici casu, scilicet, si Confessarius merito præsumatur adhuc recordari de pœnitentia, tali pœnitenti imposita, et si Confessarius facile, seu absque notabili incommodo adiri possit. Ratio est, quia tunc ignorantia pœnitentiæ non est neque physice, neque moraliter invincibilis; et insuper, non est ratio sufficiens ab obligatione excusans. Multo autem facilius excusatur pœnitens ab illa obligatione adeundi Confessarium ad pœnitentiam resciamdam, si de materia levi agatur. Hinc pœnitentes pii, qui non solent graviter peccare, generatim non tenentur Confessarium ea de causa adire, nisi, modo peracta confessione, adhuc juxta sedem confessionalem maneant.

2<sup>o</sup> *Neg.* autem in aliis casibus, *saltem probabilius*, cum sententia communi, contra plures. Ratio est, quia pœnitentia quæ e memoria excidit, eo ipso impossibilis facta est, ut infra dicitur.

528. — *R. ad. 2<sup>m</sup> Quæs. Neg.*, saltem cum sententia communi. Ratio est: 1<sup>o</sup> quia ubi pœnitentia tum a pœnitente, tum a Confessario ignoratur, facta est impossibilis, nec obligare potest; 2<sup>o</sup> quia nulla potest esse obligatio, ut peccata, semel accusata et directe absoluta, iterum clavibus subjiciantur. Nec dicas esse repetendam confessionem, ut pœnitentia injungatur ratione Sacramenti integrandi; nam præceptum integrandi Sacramenti non potest obligare cum tanto incommodo, ut communiter advertunt Auctores. *S. Lig. n. 520.*

529. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* Nequaquam. Sequitur ex dictis. Pœnitentia enim in eo casu facta est impossibilis, et proinde corrumpit ejus obligatio. Neque tenetur Confessarius *probabilius* novam pœnitentiam subrogare pro alia oblivioni data, etiamsi de statu pœnitentis sufficienter recordaretur, propter eandem rationem. Attamen, in praxi expedit ut aliquod opus saltem leve imponat, ad satisfaciendum devotioni pœnitentis, vel ad ejus anxietates compescendas.

530. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæs. In primo et secundo casu*, MARTHA non fuit obligata ad novam pœnitentiam implendam, nec a fortiori ad confessionem iterandam. *In tertio casu* debuit adire Confessarium, si facile potuit, et præsumpsit illum pœnitentiæ præscriptæ memorem esse; secus in aliis casibus. Opus autem a seipsa susceptum, nunquam vim satisfactionis Sacramentalis habere potest. *In quarto casu*, MARTHA non tenetur adire Confessarium cum incommodo suo notabili. Imo, juxta plures, non constat de obligatione redeundi ad Confessarium, si absolute ab eo recessit; quia tunc est completum judicium sacramentale, et deficit unio moralis inter illud judicium et pœnitentiam injunctam.

## CASUS IX.

ADIMPLETIO PŒNITENTIÆ 1<sup>o</sup>.

UBALDUS, peracta confessione, pro salutari pœnitentia jussus est audire semel Missam, semel coronam B. M. Virginis recitare, et SS. Sacramentum semel visitare; verum industrius homo, per compendium satisfacit: pergit enim ad Missam die Dominica, eam audit, SS. Sacramentum simul adorando, et Rosarium integrum eodem tempore recitando. Alias, cum duas Missas ex pœnitentia audire deberet, tendit ad Ecclesiam, advertit felici casu duas simul Missas in duobus altaribus esse jamjam celebrandas, easque eodem tempore audit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An UBALDUS obligationi suæ satisfecerit simul recitando coronam B. V., SS. Sacramentum visitando, et Missam audiendo?*

2<sup>o</sup> *An satisfecerit obligationi pœnitentiæ, assistendo Missæ die festo præceptæ?*

3<sup>o</sup> *An duabus Missis injunctis simul interesse potuerit?*

SOLUTIO :

531. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* UBALDUS obligationi suæ satisfecit recitando coronam B. V. dum Missam audiebat, quia illæ duæ obligationes sunt sociabiles. *V. Comp., t. 1, de Leg., n. 106*, et supra in hoc opere, *cas. 10, de Legibus, n. 101*. Non autem satisfecit peragendo simul visitationem SS. Sacramenti et Sacro assistendo, quia evidenter Confessarius voluit ut seorsim hæc duo opera ponerentur. Quorsum enim præfatam visitationem injunxisset? cui bono? Ergo supplere debet UBALDUS, denuo Ecclesiam petendo ad SS. Sacramentum adorandum.

532. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. Neg.* Ratio nota est. Licet enim opus jam aliunde debitum absolute imponi possit pro pœnitentia, requiritur expressa Confessarii voluntas, ut rationem satisfactionis sacramentalis habeat. In casu autem, nulla habetur circa hoc voluntas Confessarii, imo ne implicita quidem est: Confessarius enim nunquam aliquid simile intendit, quin illud formaliter manifestet.

533. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* UBALDUS minime potuit duas Missas ex pœnitentia injunctas simul audire, sed utrique successive assistere debuit. Etenim, quamvis possit quis uno tempore et actu pluribus obligationibus satisfacere, quando sunt sociabiles, et aliud non constat de mente Superioris obligationem imponentis; quando tamen aliud constat, nonnisi diverso tempore et repetito actu pluribus obligationibus satisfaciendum est. Atqui, in casu nostro, evidenter constat de intentione Confessarii, scilicet, ut utrique Missæ seorsim interveniat. Talis enim est sensus notissimus et communis Confessoriorum, qui secus mallent unicum Sacrum imponere audiendum quam plura, si scirent hæc simul audienda esse. Ergo...

*S. Lig. Homo apost. n. 57. — Lacroix, n. 1281, et alii communiter contra Busebaum. — V. Comp. de Legibus, n. 107, et in hoc opere, Cas. tom. 1, n. 100.*

## CASUS X.

## ADIMPLETIO PŒNITENTIÆ 2°.

DIONYSIUS pro pœnitentia sacramentali rosarium B. V. flexis genibus recitare debet; sedendo autem recitat. Re cognita, Confessarius extraordinarius, quem occasione alicujus festi adiverat, jubet iterari recitationem, utpote invalide persolutam. — Alias, cum jejunare debuisset in vigilia Nativitatis B. V. in ipsius honorem, ad specialem gratiam die festo impetrandam, id agere hac die impeditus fuit, et obligationem exstinctam existimavit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An DIONYSIUS rosarium iterare debuerit?*  
2° *An ad jejunium adhuc postea fuerit obligatus?*

SOLUTIO :

534. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Solutio hujus quæstionis vix absolute dari potest, quia a variis circumstantiis et a voluntate Confessarii maxime pendet. Generatim hujusmodi circumstantiæ ut quid mere accidentale spectari debent. In præsentem autem casu, cum agatur de opere satis molesto; imo quod minus prudenter forte impositum esse ex obligatione censeatur viro, hujusmodi pœnitentiæ parum assueto: credibile non est circumstantiam illam sub gravi fuisse injunctam. In praxi, post factum, inducendus est pœnitens ad orandum identidem genibus flexis, ut pœnitentiam aliquatenus suppleat, nisi malit rem ordinario Confessario in proxima confessione subijcere. *V. Comp. n. 528, 534.*

535. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. Affirm.* Ratio est, quia circumstantia temporis non fuit præfixa ad finiendam obligationem, sed tantum ad illam determinandam. Confessarius enim minime intendit nullam imponere pœnitentiam, si die determinata jejunium omissum fuisset, vel fieri non potuisset.

## CASUS

## DE JURISDICTIONE ET APPROBATIONE

## SEU

*De necessitate jurisdictionis et approbationis; de defectu jurisdictionis incognito, seu de errore communi et titulo colorato; de jurisdictione dubia; de jurisdictione in casu mortis; de jurisdictione et approbatione Regularium et erga Moniales.*

## CASUS I.

## APPROBATIO.

1° DAMIANUS, Sacerdos, Episcopi familiaris, commorans Paschali tempore apud FLORINUM, Parochum, se offert ut in audiendis confessionibus ei auxilium præstet, licet approbatione episcopali careat, pro certo habens fore ut hoc Episcopo non displiceat. Votis DAMIANI libenter annuit Parochus.

2° QUIRINUS, Sacerdos, extra diœcesim suam ad breve tempus versans, ab Episcopo loci approbatur ad audiendas virorum confessiones, occurrente magna quadam solemnitate. QUIRINUS exceptit etiam confessiones plurium mulierum, et unius viri parochiæ extranei. Existimavit enim se id posse facere absque difficultate, cum in propria diœcesi approbatione gaudeat generali, absque ulla restrictione neque temporis, neque personarum.

HINC :

- QUÆR. 1° *In quo approbatio et jurisdictio differant?*  
2° *Quando, et a quo Episcopo requiratur approbatio?*  
3° *An Episcopus Sacerdotem extraneum approbare possit?*  
4° *An sufficiat approbatio tacita vel præsumpta?*  
5° *An validæ fuerint absolutiones in singulis casibus?*

SOLUTIO :

536. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Approbatio est præcipue judicium Episcopi, aut Superioris ecclesiastici, de idoneitate subditi ad audiendas confessiones. Jurisdictio vero est concessio potestatis excipiendi fidelium confessiones cum determinatione subditorum, circa quos hæc facultas exerceri potest. In præsentem Ecclesiæ praxi non amplius separatim una absque altera, relative ad sæculares Sacerdotes, conceditur.

537. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* Approbatio ab ipso Episcopo loci in quo audiuntur confessiones danda est; et sub pœna nullitatis semper requiritur, nisi adsit casus extremæ necessitatis, vel jurisdictio ordinaria erga pœni-